UERSUS IN AQUISGRANI PALATIO EDITI ANNO HLUDOVVICI IMPERATORIS XVI DE IMAGINE TETRICI.

Strabus.

Cur non, dulce decus, quoniam se contulit hora
et uer floriferis laetum se subrigit austris
magnus et ardentem gradibus legit aethera Phoebus,
iam spatiis creuere dies, dulcescit et umbra,
in flores partusque nouos et gaudia fructus
herba recens, arbos datur et genus omne animantum,
quod mare, quod siluas, quod rura, quod aera tranat,
quaerere me pateris, te respondere petitis?
discere namque mihi uotum, tibi dicere promptum.

Scintilla.

Nec te, credo, latet, ueteres quo more poetae
digna diis terrisque canebant carmina magnis
aut etenim abrupti montis iuga sola sequentes,
aut specubus, fossis aut saltus ualle remoti
o magnum phalerata echonem uoce ciebant,
hirta suis hederis circum bene tempora cincti.
teste nemus testesque ferae timidaeque uolucres,
mens secura, procul furibundae crapula curae.
at nos pro siluis, hederis, echone, coturno
inmanes omni ferimus de parte tumultus
et uix ipsa luto subducit pupula sese
stercoribusque nouissima, pro pudor, omnis inhorret.
hinc detractorum sonat, illinc clamor egentum
nudaque tergoribus sordescunt crura nigellis.
has umquam Musae si dilexere nitellas,
stercora, clamores, caenosa fluenta, tumultus,
respondere tibi nequaquam differo, sed si
pauca loquar, quia deest locus, argue lenius, oro.

Strabus.

Primum nosse uelim, iuxta quam saepe uiamus,
cur sit imago suis sic effigiata figuris.

14. O magnum pharetratae dionem *C. vergl. Ter. Phorm.* 3, 2, 15 phaleratis dictis. 15. cincta *verb.* cincti *C.* 23. Uadaque, *am rande verbessert* Nudaq. *C.* 24. ni(t)gellas *C.*

Scintilla.

Tetricus Italicis quondam regnator in oris
multis ex opibus tantum sibi seruat auaruo
at secum infelix piceo spatiatur Auerno,
cui nihil in mundo, nisi uix fama arida restat.
quamquam thermarum uulgus uada praeparet olli,
hoc sine nec causa, nam omni maledicitur ore,
blasphemumque dei ipsius sententia mundi
ignibus aeternis magnaeque addicit abysso.
quam statuam uiuo artifices si forte dederunt,
credito blanditos insano hac arte leoni,
aut etiam, quod credo magis, miser ipse iubebat
haec simulacra dari, quod saepe superbia dictat.
infelix nam nullus erit, nisi deserit ipse
scire quod est, audens sese quod credere non est.
curribus atque in equis noris si stare superbos,
non, quod sedit equo, tecum miraberis umquam.

Strabus.

Cernimus aerias simul aduentare columbas
terque die exorta, media et uergente uenire:
talia non uanis addam spectacula rebus.

Scintilla.

Nonne uides humiles saeuos quasi amare tyrannos?
non ex corde tamen, sed enim pro temporis huius
pace, petunt pastum, non nidificando quiescunt.

Strabus.

Cur dextra de parte nolam gestare uidetur?
nudus ob hoc solum, puto, ut atra pelle fruatur.

Scintilla.

Etsi non caneret, nequaquam pelle careret,
quam semel induerat, sed erit, quod dicere possis:
flagitiosorum certe praeconia summis
laudibus accelebrant omnis uirtutis egentes,
uerius ut dicam, dat nudo opprobria nudus.

32. *Gregor. dialog.* IV c. 30. 57. accelerant *C*, accelebrant *Canisius*.

Strabus.

Si quid in his aliud, nobis edicito, nosti.

Scintilla.

Fulget auaritia exornatis aurea membris,
spicula fert, quae saepe latus pulsare pigrescens
sufficiant solitisque accendant corda rapinis.
aurea quod regnat stipata satellite nigro,
non aliud portendit enim, quam quod mala quantum
luxuries quosdam sensu distendit auaro,
tantum pauperies alios deuastat adurens.
quam subterlabuntur aquae, quia teste poeta
semper auarus eget; quod desunt frena, notabis
quodque super lapides plumbumque et inane metallum
currit equo, signat se pectore belua duro,
corde pigro sensuque cauo regnare superbiam.
o pestis sine fine nocens, non sufficit omnem
peruolitasse orbem bellis et caede potentum,
quin etiam faciem praeclara palatia contra
christicolasque greges uideas posuisse nefandam.
ante pedes ternos parentibus undique neruis
ille tuus sonipes uacuum super aera nando
tollet et albentes monstrabitur inter olores,
quam pia corda tuis macules, uis pessima, telis.
iam tamen ipsa pedem uanis conatibus unum
optima nequicquam contra consulta leuasti,
nam quotiens procerum tibimet coniungere quemquam
es conata, tibi totiens aut obuia mortis
ex insperato uenere repagula nigrae,
aut cautela patrum. quos arx sanctissima semper
substituit, pestem monitis compescuit atram.
deficiat quorum sceptrum de semine numquam,
donec in igniuoma ueniet rex nube coruscans.

Strabus.

Dignum est, ut uideo, praemissis tristibus ergo
debita principibus laudum persoluere uota.

67. *Horat. epist.* 1, 2, 56. 81. nequaquam *C.*

Scintilla.

Noui equidem, sed felici numquam offuit ulli
aduersis firmare animum neque contigit ullum
ante bonum non esse malum: sic numina nerunt.
aurea quae prisci dixerunt saecula uates,
tempore, magne, tuo, Caesar, uenisse uidemus;
tu pietate reples, quicquid minus esse pot...
thesauris alii, meritis tu comptior esto,
tu bonitate places aliique tyrannide gaudent.
solus ad omnigenas transis, rex magne, triumphos,
quem te namque uocem, nisi magnum in plebe Moysen,
qui populos tenebris per lumen ducis ademptis,
qui morum noua templa struis, qui munera Christi,
quae conlata tibi cunctis communia praestas.
ille umbram, tu corpus habes, heremo ille remota
arte tabernaclum et serpentes uinxit aenos,
de silice hausit aquam sumens de manna pruinis:
tu uero in populis paradysi ad amoena uocatis
templa regis fundata sacris, rex magne, lapillis,
quorum pensa pater quondam tibi magnus adauxit;
aurea cui ludunt summis simulacra columnis,
cuius ad ingenium non confero dogma Platonis.
lacte fluis et melle simul petraeque sequentis
largiris latices undis Pharaone necato.
laudibus altithronum celebras per saecula patrem,
digna loco cui semper erunt spectacula amoeno.
hinc magnum Salomonis opus, hinc templa supremis
structuris aequanda micant, specularia subter
dant insigne nemus uiridique uolantia prato
murmura riuorum; ludunt pecudesque feraeque
uri cum ceruis, timidis cum caprea dammis.
si quoque deinde uelis, saltabunt rite leones,
ursus, aper, panthera, lupus, linces, elephanti,
rinoceros, tigres uenient domitique dracones
sortiti commune boumque ouiumque uirectum.
omnia pacatis animalia litibus assunt,
aeriae summo quercus de uertice laetis

96. minus esse potestur *C.* 120. *Isai.* 11, 6–8.

conmodulantur aues rostris et suaue susurrant.
ast alia de parte nitens fulgore corusco
auratus discurrit eques, comitante pedestri
agmine, tintinnum quidam, quidam organa pulsant.
dulce melos tantum uanas deludere mentes
coepit, ut una suis decedens sensibus ipsam
femina perdiderit uocum dulcedine uitam.
cedant magna, tui super est, figmenta colossi,
Roma: uelit caesar magnus, migrabit ad arces
Francorum, quodcumque miser conflauerit orbis.
en, quîs praecipue iactabat Grecia sese,
organa rex magnus non inter maxima ponit.
quae tamen inceptos seruent si intacta canores,
deses erit, qui saepe suo quatit aera plectro.
ante tamen spreta iactabit pelle lacernam
et ferri rapta bachatus mole sonoros
comminuet truncos et iniquas uoce cicutas,
nec frustra, quia nulla suo pro carmine dona
emeruit, saltim ut fului pars extima nigros
auri conlatis meritis depingeret artus.

Interea magnis crepitant tabulata cateruis,
quae clarum sequitur pulcherrima turba Moysen.
obstupui, fateor, gemmis auroque decorum
et uidi et mecum uoluens, tum singula uolui,
an Salomona pium, an magnum Dauida uiderem,
Herodem non esse sciens, nec talis honoris
participem faciat caeli rex optimus illum.
percepi tandem, postquam rigor ossa reliquit,
ossa sacri cornuta patris splendore corusco;
hunc cui fulgorem diui consortia uerbi
ediderant, qui in terrigenis mitissimus extat.
non circumdantis timeo me milia plebis:
quem metuant fines terrarum funditus omnes,
gaudebunt mea, cum tibi decantauero, labra.

(De Hlothario imperatore)

At latere e dextro sancti spes optima regni

134. colosi *C.* 135. Romanas *am rande zu* arces *C.*

procedit Iosuae praesagi nominis heres,
cui nihil defuerit morum, uirtutis, honoris,
qui, si sospes erit, postquam te regna polorum
sustulerint uisoque dei laetabere uultu,
principe sub Christo terris caeloque canetur
perficietque bonus primordia talia finis.

(De Hludouuico rege)

Inde tuos, Ionathas, laeti, dulcissime, uultus
contemplamur, adest tibimet par gratia pacis,
par morum probitas, semper uictoria compar.
dignum equidem referes nomen uirtute paternum;
quamquam cura minor, tamen est tibi gloria consors:
nec doleas, quod gaza negat, concordia praestat.

(De Pippino rege)

Tertia gemma suos umquam non perdat honores,
de cuius meritis, quod non mihi uisus inussit,
haurio florigena laetae dulcedine famae.

(De Iudith imperatrice et Karolo Augustorum filio)

Occurrit trepidae pelagi uastissima prorae
inluuies, uia quam suadet modo coepta secandam,
sed moles absterret aquae atque uolubilis obex.
uidi equidem, cum pulchra Rachel solamen auorum
Beniamin dextro produceret ordine, cuius
larga salus sanctam refouet per saecla senectam,
quem pars quinta super, quam laetus percipit alter,
credo manet, namque ipse suo splendebit honore,
ipse tribumque genusque pia uirtute creabit,
in quo mater ouans, quamuis quid passa doleret,
gaudia totius prompsit felicia mundi.
gratia quae teneram uestit miranda iuuentam,
maturos iam format honesto in pectore sensus.
felix progenies tali mansura nepote:
nomine quem sequitur, factis, da Christe, sequatur,
moribus, ingenio, uita, uirtute, triumphis,
pace, fide, pietate, animo, sermonibus, ausu,
dogmate, consiliis, successu et prole fideli.

Etsi perspicitis non frustra nomine Iudith,
at Iudith uirtute refert et relligione,

Assyrius cui praedo caput submisit acerbum,
illa gulam mortis fidei mucrone trucidans
libertatis opem saluatis ciuibus auget.
tympana raucisona pulsauit pelle Maria,
organa dulcisono percurrit pectine Iudith.
o si Sapho loquax, uel nos inuiseret Holda,
ludere iam pedibus, uel ferre futura ualeres.
quicquid enim tibimet sexus subtraxit egestas,
reddidit ingeniis culta atque exercita uita,
in qua multa simul nobis miranda uidemus:
semine stat locuples, apparet dogmate diues,
est ratione potens, est cum pietate pudica,
dulcis amore, ualens animo, sermone faceta:
laeta cubans, sit laeta sedens, sit laeta resurgens
laeteturque poli felix in sede locata.

(De Hilduuino archicapellano)

Protinus in magno magnus procedit Aaron
ordine mirifico, uestis redimitus honore.
punica tintinnis respondent mala sonoris:
mala fidem, tintinna sonant documenta salutis,
quis utrisque pius uario pater ordine fulget
et diuina sacro celebrat celer orgia cultu.
ante tibi contingit aquis, Thetis uda, carere,
idola quam tantus coquat execranda sacerdos,
idola, quae plebem strauere securibus almam;
idola auarus habet, tu dicis apostole Christi.
i decus, i mundi melioribus utere fatis,
uiue deo felix, felici fine potire.

(De Einharto magno)

Nec minor est magni reuerentia patris habenda
Beseleel, fabre primum qui percipit omne
artificum praecautus opus. sic denique summus
ipse legens infirma deus, sic fortia temnit:
magnorum quis enim maiora receperat umquam,
quam radiare breui nimium miramur homullo.

200. *Exod.* 15, 20. 201. *Iudith* 16, 2. 202. 2 *Reg.* 22, 14. 214. *Exod.* 28, 33, 34. 220. *Exod.* 32, 28. 221. *Ephes.* 5, 5. 226. *Exod.* 35, 30–35. 222. factis *C*, fatis *Canisius*.

(De Grimaldo magistro)

Quamuis subter agas regum tabularia uitam,
non te praetereo, specubusne latebis, Homere?
noui namque Sicana tibi spelea placere,
solus ubi Musis Musarum et amore fruaris.
saepe tamen magnis uictoribus optima cudis
carmina: tempus erit rutilo te sole caļere.

Corporis at nostri si singula membra loquaces
in linguas uario rerum uertantur ab usu
argutae aut setis possint creuisse cicutae,
omnibus impar ero magnorum promere laudes,
ut dignum est, procerum; melius miranda tacemus,
quam tam magnum humili pondus sermone leuemus.

Cura mihi fuerat tales cognoscere fasces
rimabarque sagax tantarum munia rerum.
dumque sitim iam pene sacro restinximus haustu —
et sitis est ingens tam feruida cura uidendi —,
quaeritur, unde essem et missu cuiatis adessem.
obstupui et totam pauitans rem ex ordine pando:
sufficiat uidisse simul, laudare perennis
instat amor, diuina manum clementia uestram
omnibus in populis faciat retinere trophea
felicemque patrum famam cum prole togata,
et fieri in magno allectos per saecla senatu
utque timent uestros laetis in saltibus arcus
ursus, aper timidusque lepus ceruique fugaces,
damma, lupus immane boumque examen agrestum,
sic Vulgar Sarraque cenus malus hospes Hiberis,
brutus Britto, Danus uersutus et horridus Afer
subdant honorandis sua colla exterrita dextris.
nunc tandem creuit felix respublica, cum sat
et reges sapiunt simul et regnant sapientes.

Tetrice stulte uale, quia te suadente canebam,
non mirum est uitiis nostram sordere ċamenam,
nec mihi materiam nec uerba ostendere nosti.
haec tibi si qua ferat ratio, tum Musa nitebis.

237. uertuntur *C.* 251. togatam *C.* 256. sarraeque cynos *C.*

hic calamum placuit, uesper iam, figere, surgit.

Edidit haec Strabus paruissima portio fratrum,
Augia quos uestris insula alit precibus.
Strabonem quamquam dicendum regula clamet,
Strabum me ipse uolo dicere, Strabus ero.
quod factor uitiauit opus, si dicere fas est,
hoc uitiato edam nomine, parce deus.

Das vorstehende gedicht Walahfrids ist uns in der handschrift der St. Galler stiftsbibliothek in klein quart 869 aus dem zehnten jahrhundert erhalten, deren gesamten inhalt Heinr. Canisius im j. 1604 zum erstenmale herausgegeben hat (Lectiones antiquae VI, 546—670). es steht daselbst auf p. 143 bis 163 in der weise zerstückt daſs (auf p. 152—156) drei fremdartige, völlig ungehörige gedichte eingeschoben sind. da diese einschiebsel inmitten der seite beginnen und enden, so war vielleicht die vorlage unserer handschrift verbunden, die unsrige aber ist es nicht. das richtige sachverhältnis, welches Canisius übersah, hat zuerst Bock erkannt (jahrbücher des vereins von alterthumsfreunden im Rheinlande V, 3), der auch die trennenden (mit rother farbe geschriebenen) überschriften in der zweiten hälfte des gedichtes wohl mit recht für erläuternde randglossen erklärte. indem er so einen zusammenhängenden text abdrucken lieſs (a. a. o. s. 161—170), entgiengen ihm als bestandtheil des gedichtes nur v. 158—160. eine nochmalige vergleichung der handschrift hat einige verbeſserungen zu dem im ganzen ziemlich correcten ersten drucke des Canisius, sehr viele zu der überaus fehlerhaften ausgabe Bocks ergeben. die einzelnen abschnitte werden in der handschrift deutlich dadurch abgegrenzt daſs jedesmal der erste vers mit lauter groſsen buchstaben geschrieben ist. hinsichtlich des inhaltes verweise ich im allgemeinen auf die sehr gelehrten erläuterungen Bocks. den gegenstand der im sommer 829 verfaſsten dichtung bildet ein von Karl dem gr. 801 aus Ravenna entführtes und vor der Achener pfalz aufgestelltes reiterstandbild Theoderichs, welches der zeitgenosse Agnellus mit eigenen augen dort erblickte und beschrieb (Liber pontifical., Muratori scr. rer. Ital. II, 123 vgl. I^{b} 576, 577). in der ersten hälfte der dichtung unterhält sich Walahfrid mit der als person aufgefaſsten helle seines geistes vor der pfalz stehend über jenes bild, dessen gestalt und theile er im kirchlichen sinne allegorisch umzudeuten sucht, um schlieſslich

gegen den dunkeln hintergrund des tyrannen Theoderich die hehre figur des christlichen königs Ludwig desto strahlender abzumalen (v. 1—146). in diesen betrachtungen wird er durch das hervortreten Ludwigs selbst, und seines hofes aus der pfalz unterbrochen: diese erscheinung veranlaſst den dichter nunmehr in eigener person, den kaiser, seine vier söhne, die kaiserin Judith und von den hofleuten Hilduin, Einhard und Grimald zu feiern, um endlich zu guten wünschen für die regierung seines gnädigen herrn überzugehen und noch einmal den ersten anlaſs seines werkes zu berühren (v. 147—271). der werth seines gedichtes für uns liegt theils in der schilderung des fränkischen hofes in einem höchst schicksalschwangeren augenblicke und zwar von dem standpunkte des kaisers aus, theils in manchen etwas dunkeln kulturgeschichtlichen andeutungen. in der auffaſsung Dietrichs von Bern schlieſst sich Walahfrid ganz an den h. Gregor an, die kirchlichen ideen haben bei ihm das volksthümliche völlig erstickt. über einen vielleicht auf unsere statue zurückzuführenden fund von gediegenen eisenmassen in der nähe des alten kaiserbades vgl. das morgenblatt für gebildete stände jahrg. 1817 nr 15.

Halle im Dec. 1864. *Ernst Dümmler.*

UEBER TANDAROIS UND FLORDIBEL,

EIN ARTUSGEDICHT DES PLEIERS.

Drei lang ausgesponnene Artusromane sind uns, wie es scheint, aus dem ende des dreizehnten jahrhunderts bewahrt, welche zum verfaſser den Pleiære haben. den ersten derselben, den über 12840 verse sich erstreckenden Meleranz hat schon Franz Pfeiffer in der Germania 2, 499 ff. in der kürze besprochen und Karl Bartsch jüngst als sechzigste publikation des litterarischen vereins in Stuttgart im j. 1861 nach der einzigen Donaueschinger handschrift herausgegeben. das schluſswort zu dieser arbeit enthält einige hinweise auf die entlehnungen des dichters, dessen sprache und den gang der fabel; andere fragen sind unbeantwortet verblieben. über das zweite werk des Pleiers, den Garel vom blühenden thal, handelte Zingerle in der Germania 3, 23 ff. und nach seiner ebenda s. 24 gegebenen nachricht muſs dasselbe wenigstens 20000 verse ausfüllen [1]. auſser

1) Zingerle weiset der einzigen Linzer handschrift 169, Mone im anzeiger 8, 611 nur 164 blätter zu.